

da: quod non suscipit magis, & minus. Tertia: quod est fundamentum æqualitatis: quod est maxime proprium quantitatis.

Quibus conclusionibus præsuppositis, subtilissimus præceptor circa hoc caput, tam principales, quam appendices, novem quæstiones movet, quarum prima, & secunda, quas nos sub vno titulo comprehendimus, inquirunt; An quantitas sit genus vnum: hoc est: An sit vnum generalissimum vniocum suis inferioribus? partem ne gatiuum quoad vtramque partem probat nonnullis argumentis: quibus non obstantibus.

1. Conclus. Doctoris.

Dicit primo, quantitas est genus generalissimum: hanc probat autoritate Arist. & etiam ratione: quia prædicatur in quid de quantitate continua, & discreta: nec habet supra se aliud genus, quod de ipsa prædicetur: ens enim, quod de ipsa prædicatur; non est genus.

2. Conclus.

Secundo dicit: quantitas est genus vniocum suis inferioribus: patet etiam autoritate Arist. & etiam ratione: quia prædicatur de suis inferioribus secundum nomē, & rationem: ergo est vniocum. Sed in quo consistat ista communis ratio quantitatis, non se determinat: duplicē enim opinionem refert cum suis fundamentis, & quāvis secundam magis probare videatur; non tamen se hic determinat: vt videbimus. Tandem soluit argumenta, quibus oppositum harum conclusionum persuadere nitebatur. De quibus omnibus: prout ad præsens attinet; in nostris articulis videbimus.

ARTIC. I.

Quare hic quantitas ab Arist. non definiatur; sed solum dividatur?

DVAS quantitatis diuisiones, & duas subdivisiones, assignat Philosophus in textu: prima est: generis quætitatis, alia continua, cuius partes vniocum communi termino copulantur: & alia discreta, cuius partes non vniocum communi termino copulantur. secunda diuisio: quantitatis alia constat ex partibus positionem ad invicem habentibus: id est, cuius partes habent modum situs in toto: permanentiam, & continuationem ad aliquem terminum communem: ita vt tria habeat: ordinem in toto: permanentiam: & continuationem: Alia non constat ex partibus habentibus positionem: id est, illa tria non habet: vt numerus; & tempus. Prima subdivisio est. Quantitatis continuæ, alia linea; alia superficies; & alia corpus. Secunda: quantitatis discretæ, alia numerus. & alia ratio. Cum igitur Aristot. tantum huius generis nobis diuisionem proposuerit, & non eius diffinitionem, seu rationem conceptus quidditatiui; merito in primis dubitatur; quare hoc fecerit? ex quo patet Articuli titulus.

1. Sentent.

Prima sententia, seu responsio est Domini Caietani in præsentem dicentis, hoc Arist. fecisse: quia non est logici muneris rerum essentias inquirere; sed ea, quæ in Prædicamento ponuntur, disponere.

Secunda sententia est Nicolai de Orbellis, & Patris Didaci à Iesu, asserentium; hic Aristot. lem quantitatem non diffinisse: quia ex genere, & differentia non constat.

2. Sentent.

Tertia sententia, seu responsio est nobis amplectenda: pro qua dicendum primo, prima, & secunda responsio insufficientes sunt: de prima patet: quia dispositio rerum in Prædicamento præsupponit illarum cognitionem: male enim poterimus res in Prædicamento ordinare; illisque talem, vel talem locum, superioris, vel inferioris, tribuere; si prius illas non cognoscimus, ergo vt quantitati in communi rationem generalissimam tribuamus; debemus prius eam quidditatiue cognoscere: igitur, &c.

3. Sentent.

1. Conclus.

De secunda etiam constat: quia generalissima sunt notificabilia per ens, & per suos modos saltem: sunt enim entia completa: ergo quamuis quantitas per genus, & differentiam, non diffiniretur. posset per suum modum notificari: sicut ipse Philosophus fecit de Prædicamento ad aliquid; & qualitatis.

2. Conclus.

Dicendum secundo, ideo Arist. hic quantitatem non diffinuit, quia ex cognitione inferiorum, in quæ diuiditur, facillime eius notificatio haberi posset. Et etiam quia in 5. Metaph. eius conceptum explicauerat: & cum Logicus; vt in sua scientia perfectus sit; debeat ad Metaphysicam recurrere; ex ea, quid sit quantitas, facillime reperiet.

Dub.

Sed dubitabis: quare hoc Prædicamentum aliquando quantitas in abstracto; aliquando quantum in concreto nominetur?

1. Respons.

Respondeo: quia sumitur concretum pro abstracto: sicut communiter apud Doctorem, totum, v. g. homo, solet humanitas appellari: licet sit ipse homo in concreto: sic è contrario in proposito, quantum pro abstracto sumitur.

2. Resp.

Secundo respondeo: quia cum concreta accidentium sint nobis notiora, quam abstracta; ideo cum quantitas sit proximum subiectum; licet nõ vltimum; accidentium; illud nominat Aristot. in concreto.

3. Resp.

Tertio respondeo: hoc esse in hoc Prædicamento peculiare; vt abstractum per concretum nominetur: quia sicut concretum dicit subiectum extensum: ita ipsa quantitas secundum se est extensa habens partes distinctas, extra partes: habetque in se omnia, quæ suo tribuit subiecto: vt patet in altaris Sacramento: quod alijs accidentibus ne utiquam convenit: albedo enim non albeficitur; sed solum tribuit esse albū. Et vltra: quantitas est subiectum, quod, non vltimum, & quo, aliorum accidentium: & ideo hoc privilegio gaudet. Vnde hæc propositio: quantitas est quanta: in sensu materiali est vera: non vero formaliter loquendo: nam tunc, vel quantum sumitur adiectiue; vel substantiue: si primo modo: est falsa: facit enim hunc sensum: quantitas denominatur à quæritate: & tunc, vel à seipfa: & est prædicatio identica sic: quæritas est quæritas: vel denominatur ab alia: & de illa inquiri; an sit formaliter quæta: & sic in infinitum: vel dicendum: quod nõ est formaliter denominatiue quæta. Si autem sumatur substantiue: est sensus: quantitas est habens quantitatem, quod est falsum: nõ

nihil

nihil est sui ipsius subiectum: vide Doct. ad primum, primæ quæst.

ARTIC. II.

Quæ sit ratio formæ quantitatis in communi?

QVAMUIS Philosophus hic quantitatem non diffinierit; illa tamen in 5. Metaph. tex. 18. sic eam diffinit; seu potius notificat: Quantum est diuisibile in ea, quæ in sunt, quorum singulū natū est esse hoc aliquid. Dicitur; quantum esse diuisibile: vt excludatur indiuisibile: nepe pūta: quæ nullatenus diuidi possunt: dicitur; in ea, quæ in sunt: hoc est, in partes quætitatiuas eiusdem rationis, quas actu, & formaliter, habet: vt excludatur mixta, quæ solū virtute elementa continent: dicitur; quorum singulū natum est esse hoc aliquid: vt denotetur: quod vnaquæque pars earum, in quas diuiditur, apta est, vt facta diuisione, per se, vt vnum quoddam eorum, separatim consistat.

1. Sentent.

Ex qua aristotelica, quantitatis descriptione est prima circa præsentem difficultatem sententia asserens, rationem formalem quantitatis consistere in aptitudine proxima ad hoc, vt corpus in partes eiusdem rationis diuidatur. Ita Capreolus in 2. dist. 3. q. 1. ad 1. & dist. 18. ad 1. Aursoli, & dist. 19. ad 2. contra 1. & in 4. dist. 10. ad confirmationem secundi contra primam: Sôzinas 5. Metaph. q. 21. Iabellus q. 20. quibus fauere videtur D. Thom. 1. Phys. lect. 3. & quodlib. 9. q. 4. art. 1. & in 1. dist. 19. q. 1. art. 1. ad primum: & alibi: noster Doctor in præsentem, vbi hanc sententiam approbare videtur: & probatur rationibus ab eo factis, & habitis ibi: ideo dicitur aliter.

2. Sentent.

Secunda sententia asserit, rationem quantitatis consistere in habitudine mensuræ: hæc opinio; quæ; sicut & præcedens, tempore Doctoris iam celebris erat; tribuitur D. Thom. opusc. 52. de natura loci: & 1. p. q. 7. art. 3. ad 2. & q. 19. art. 1. quibus in locis quantitatem per rationem mensuræ describit: quæ ex eius mente sequitur Fladria 5. Metaph. q. 14. art. 5. & probatur argumentis habitis in textu, ibi: Sed quæ sit illa vna ratio.

3. Sentent.

Tertia sententia affirmat rationem formalem quantitatis esse extensionem in ordine ad locum, seu impenetrabilitatem: id est, extensionem illam, per quam substantia petit occupare locum extensum, distinctum situ, & positione, à loco alterius; & redditur impenetrabilis cum alio corpore. Ita noster Nominalium Princeps Ochamus in sua Logica cap. de quantitate, quæ sequitur Suarez 2. tomo Metaph. disp. 40. sect. 4. num. 15. quæ probat: tū à sufficienti diuisione: tū etiā quia nullus effectus prior, aut inseparabilior isto intelligitur à nobis in quantitate: ergo non potest eius essentialis ratio melius explicari, quam per hunc effectum formalem: cum essentialis ratio formæ in habitu dine ad suum effectum formalem consistat.

Argum.

Quarta sententia asserit extensionem partium in ordine ad se: prout præcedit extensionem in ordine ad locum: rationem mensurandi; & proximam diuisibilitatis in partes eiusdem rationis; esse rationem

4. Sentent.

formalem quantitatis: hæc est cõmunis apud Scotistas; colligiturque ex Doct. 5. Metaph. q. 9. eaque tuetur plures Thomistæ, quos citat, & sequitur Araujo 5. Metaph. q. 3. art. 1. pro qua notandum 1. quod dupliciter articuli titulus intelligi valet: primo enim potest inquiri; quæ sit ratio quætitatis in se: prout est ens quoddam realiter ab alijs Prædicamentis distinctum: secundo: quis sit eius effectus formalis, & primus, quæ tribuit substantiæ; quatenus est forma accidentalis ipsam realiter, & intrinsece, afficiens.

1. Nota

Secundo notandū: duplicē esse extensionem: aliam entitatiuam; & aliam quætitatiuam: extensio entitatiua est, quæ vna pars entitatis nõ est alia: seu ab alia distincta: vt in substantia hominis: substantia capitis non est substantia pedis: & hæc in quavis re materiali reperitur. Extensio quætitatiua est illa ratio accidentalis, quæ vna pars extra aliam esse postulat separata, & diuisa: interquæ duplicē extensionem est maximū discrimen: nam sicut existere per se aliter dicitur de substantia, & aliter de accidente separato, vt in Eucharistia: quia de substantia dicitur per repugnantiam; vt sit in alio: repugnat enim substantiæ esse in alio, vt in subiecto inhærens: at vero de accidente existere per se dicitur per non repugnantiam, vt sit in alio: quæ non repugnantia ad essendum in alio, vt in subiecto, est ipsa natura accidentis positiua per negationem explicatam: ita pariformiter habere partes extensas eiusdem rationis aliter dicitur de reali sine quantitate; & aliter de ipsa quantitate: nõ de substantia, v. g. dicitur per repugnantiam, vt sit tangibilis, seu sensibilis, vt occupet locum circumscriptiue; etiam si in loco ponatur; vt sit diuisibilis, & separabilis in partes eiusdem rationis actione aliqua physica instrumentaria, & quantitatiua; vt sit impenetrabilis cū alia substantia: nõ naturaliter penetrari potest: vt sit alba, vel nigra, ac accidentium communium susceptiuæ: ac denique vt sit radix æqualitatis, & mensuræ mollis: hæc enim duo partes quantas in substantia prærequirunt: Sed habere partes extensas dicitur de quantitate effectiue per non repugnantiam ad omnia supradicta: ipsi enim separata non repugnat esse tangibilem, seu sensibilem; esse occupatiuam loci circumscriptiue; esse diuisibilem, ac separabilem, in partes, actione physica, & instrumentaria; esse susceptiuam accidentium realium; esse æqualem; & rationem mensuræ: ac tandem est impenetrabilis naturaliter cum alia quantitate: primo talis extensio quætitatiua est ratio quædam positiua, cui hæc omnia naturaliter conueniunt: & est apta aptitudine remota, vt sibi omnia infint; & ea substantiæ cõmunicet, quasi æctiue, & per modum effectus sui formalis: prius enim infint quantitati, quam illa substantiæ cõmunicet, & tribuat.

2. Nota

Tertio notandum: quod sicut quantitas in communi abstrahit à continua, & discreta; permanente, & successiua; habente positionem; & nõ habente ipsam: sic eius effectus formalis communis abstrahit ab omnibus eius effectibus specificis quantitatum inferiorum: sicut enim quantitas in communi contrahitur ad esse quantitatis continuæ per habere partes extensas vniocum

3. Nota

24

ni ter:

ni termino copulatas; & ad quãtitatẽ discretam per non habere illas eo modo: sic effectus formalis quãtutatis in cõmuni contrahitur ab effectibus formalibus specificis. A cõtinuõ contrahitur per reddere (siue actualiter, siue apitudinaliter) substantiã extensã, habetẽque partẽ extra partem termino cõmuni copulatã: & si fuerit cõtinuu permanens, afficiet illã secundũ unã dimensio- nem: si autem fuerit successiuum, afficiet eam per successio- nem partium post partem; vt motus. Ab effectibus specificis quãtutatis discretẽ contrahitur reddẽdo subiectũ habens partes extẽsas eiusdẽ rationis non vnico cõmuni termino copu- latus: & si fuerit numerus, reddet illud numerabi- le: si vero fuerit oratio reddet illud mensurabile; eo modo, quo est mensura: vt infra dicemus.

Corol. 1.

Ex quibus infero primo, Conimbricenses, Pa- trem Suarez, & alios huius tempestatis Docto- res male procedere assignantes effectum quã- titatis in cõmuni in extensione apitudina- li in ordine ad locum: quia nec numerus, nec oratio, nec tempus, locum occupant.

2. Corol.

Infero secundo, non recte Scotizare nostrũ Hieronymũ de Valera lib. 2. dist. 4. q. 3. not. 2. dum vult ex nostro Doctore in 4. dist. 10. q. 1. Rationẽ formale quãtutatis in cõmuni cõsistere in extensione partium in toto: nam ibi Doctõr rã- tum agit de quãtitate habente positionem; & non de quãtitate, seu effectũ eius, in cõmuni.

3. Corol.

Infero tandem contra Didacũ a Iesu imme- rito in diffinitione quãtutatis addidisse verba il- la: secundum locum, aut secundum durationem: quia hæc tantum huic, vel illi; & non quãtutati in cõmuni, conueniunt.

4. Nota.

Quarto notandũ ex Doctore 5. Metaph. q. 9. §. concedo tunc. Quod hæc quatuor habent se per ordinẽ in quãtitate: videlicet, diuisibilitas in partẽ eiusdẽ rationis: finitũ, & infinitũ: æqua- le, & inæquale: ac tandem ratio mensurã: nã finitũ præsupponit aliquid, quod debet finiri. & illud tale necessãriõ præintelligitur diuisibile: æqua- le etiam, & inæquale, præsupponit finitum: nam quia aliquid finitur, consurgit a qualitate, vel in- æqualitate: & hæc præcedunt mensurã: ex eo enim quod aliquid est æquale: vel inæquale: ideo men- suratur; & non e conuerso. Et hic est ordo, qui in- ter quãtutatis proprietates reperitur, quarum duæ primæ sunt quãtutatis in se; & aliæ duæ per ordinẽ ad aliud: quæ quidem proprietates pos- sunt dupliciter considerari: vel in actu exercitõ; vel signato: hoc est; vel prout dicunt actum, vel apitudinẽ: diuisibile, v. g. in actu est ipsa actua- lis partium separatio per actionem physicã; ita vt quælibet pars diuisa sit totum quoddã: seu alio modo: actus proprius diuisibilis, secundum Doctõr, in præsentĩ ad secundũ contra secundum modũ dicendi, exercetur per ly diuiditur; ita vt sit diuisio in fieri, ad quã sequatur actualis partium separatio: & diuisibile, vt sic, est accidens cõmune respectu quãtutatis: at vero diuisibile in actu signato adhuc dupliciter sumitur; vel formaliter, vel radicaliter: primo modo est propria pas- sio, secundo modo est idem formaliter cũ exten- sione; quæ est essentia quãtutatis: & idem de re- liquis passionibus dicatur.

Nota.

Dicendũ primo, essentia quãtutatis non con- sistit in diuisibilitate, nec in ratione mensurã: hæc statuitur contra primã, & secundã sententiã: & quoad primã partem est expressã Doctõris 5. Metaph. vbi sic ait: concedo tamen: quod di- uisibilitas est prima passio quãtutatis, & non de essentia eius: vnde sicut hæc est per se secundo modo: color est visibilis: sic hæc, quãtutatis est di- uisibilis. Et paucis interiectis ait: Vnde quãtutatis notificatur hic per proximã passionẽ eius; & nõ diffinitur. Hæc Doctõr. Et probatur: nã Arist. 6. Physicorum cap. 1. demonstrat de quãtutõ conti- nuo diuisibilitatem in semper diuisibilitã, tanquã illius propriã passionẽ: sed passio vnũs pas- sionẽ quãtutatis præsupponit totum genus: ergo.

1. Conclus.

Secundo, diuisibilitas præsupponit exten- sionem in quãtitate: ergo non potest esse essentia- lis ratio eius. Antecedens patet: nam implicat ali- quid esse diuisibile; quin prius sit extẽsum, & ha- bens partẽ extra partem: vt videtur, &c.

Secũda pars patet ex not. vltimo: si enim ra- tio mensurã est posterior diuisibilitate; & nõ con- sequitur quãtutatem secundum se, & suũ esse absolutum, sed in ordine ad aliud: nõ poterit esse de essentia eius. Maxime, quia hæc causalis est vera: quia vna est extẽsa; ideo est apta mensura re: & non e contra: ergo.

2. Conclus.

Dicendũ secundo, ratio formalis quãtutatis non est impenetrabilis, seu extensio partium in ordine ad locum: hæc statuitur contra tertiam sententiã: & patet ex corollario primo: & vltra, hæc vnica ratione probatur: ratio prima, & essen- tialis, quãtutatis est illa, quæ dat corpori suũ pri- mariũ effectũ: sed primariũ effectus quãtutatis nõ est reddere corpus impenetrabile, vel extẽde- re eius partes in ordine ad locũ: ergo ratio huius extẽsionis nõ est formale constitutiũ quãtutatis: probatur minor: quia effectus formalis, & pri- marius, alicuius formæ non potest ab illa separari: dum illa fuerit communicata subiecto, in cuius intrinseca communicatione consistit forma- lis eius effectus: sed a quãtitate communicata corpori potest separari extẽsio partium localis, & impossibilitas cũ alio corpore: vt videmus in corpore Christi Domini sub speciebus sacra- mentalibus; & quando exiuit ex vtero Virginis clauso, absque apertione meatũ: & quãdo intra- uit ad Discipulos, clausis ianuis: in quibus mira- culis duo corpora fuerunt in eodẽ loco, sine locali extensione, & impossibilitate cũ alio corpo- re in eodẽ loco: ergo aptitudo partium in ordine ad locũ non est essentia quãtutatis: & hæc conclu- sio est expressã Doctõris in 4. dist. 10. quæst. 1.

3. Conclus.

Dicendũ tertio, formalis ratio quãtutatis est extensio partium quãtutatarũ eiusdẽ ratio- nis, quarum quælibet ex natura sua postulat esse extra aliam quãtutatiũ, modo in notabili secun- do explicato. Hæc colligitur ex Doctore 5. Me- taph. vt supra: estque cõmuni apud nostros, & apud celebriores Thomistas: & patet a sufficiẽte diuisione: & etiã quia est radix demonstrãdi pas- siones suas: & quia tribuit primariũ effectũ subie- ctõ; qui est reddere partes extẽsas absolute, sine in ordine ad se: nã iste semper manet cũ quãtuta- te. Et quod sit prior diuisibilitate ostenditur: nam

nam omne extensum est diuisibile: omnis quã- titas est extẽsa: ergo omnis quãtutatis est diuisi- bilis. Maior est certissima: idẽ enim aliquid po- test diuidi: quia habet partes extẽsas, in quas di- uidatur: nam si talem partium extensio- nem nõ habet; quomodo diuisibile erit? Igitur, cum hæc demonstratio sit a priori, sequitur; quod ratio ex- tensio- nis erit essentia quãtutatis.

4. Conclus.

Dicendũ quarto, effectus primariũ quã- titatis, quem tribuit subiecto, est reddere illud ex- tensum, habensque partẽ extra partem, quãtũ quælibet per se possit esse extra aliam quãtuta- tiũ: hæc ex notabili vltimo liquet: & nulla indi- get probatione.

Ad funda- menta alia- rum opinio- num resp.

Ad fundamenta secundę sententiã patet in textu: ad fundamenta primę iam ex dictis constat. Ad Doctõrẽm pro ea citatũ dico, eum ibi non loqui ex mente propria, sed ex mente alio- rum: ait enim: idẽ dicitur aliter; & eodẽ modo soluit argumenta contra illam factã.

Secundo dico: quod sibi sumit diuisibile ra- dicaliter: in quo sensu formaliter extensionem importat: non vero sumit diuisibile formaliter; nam, vt sic, est propria passio quãtutatis.

Ad argumẽtum tertię sententię nego an- tecedens: nam, vt vidimus, inseparabilior effe- ctus quãtutatis est reddere subiectum extensum in se: & idẽ quia intelligitur prior, quam exten- sio in ordine ad locum: idẽ illum, & non istum; esse rationem formalem quãtutatis, asserimus.

ARTIC. III.

An substantia materialis habeat, sine quãtitate, partem extra partem?

QVA MVIS præfens difficultas in pri- mo Physicorum libro disputari so- leat: quia tamen maxime ad naturam quãtutatis explicandã con- fert; idẽ iam vltus eam in hoc capite agitare ob- tinuit; proceditque solum de substantia materia- li respectu partium integralium; & de alijs acci- dentibus materialibus: An, scilicet, seclusa quan- titate, habeant partes extẽsas; ita vt vna sit ex- tra aliam: vel hoc sibi a quãtutate tribuatur. In qua re est prima sententiã multorum Thomista- rum asserentium substantiam ex se nullas habere partes integrales; sed totã totalitatem, & par- tialitatem, sibi a quãtutate prouenire; quã subla- ta, ex se est indiuisibilis, non positiuẽ, sicut pun- ctus, cui ex natura sua habere partes, in quas sit diuisibilis, repugnat: sed negatiuẽ, hoc est; quia licet actu non habeat partes, est tamen apta, vt eas habeat per aduentum quãtutatis: itaque eadẽ sunt partes substantię, & quãtutatis: diuer- sime tamen: nam substantię sunt pro materia- li; & quãtutatis pro formali: tribuit enim quan- titas totalem, & partialem, extensionem ipsi sub- stantiẽ. Hæc opinio sic explicata.

1. Sentent.

Argum.

Probatur: nam aliter iam in substantia darẽ- tur linea, superficies, & profunditas, tanquam species illius: & ita hæc duo Prædicamenta con-

funderentur: haberet quoque figurã, rationẽ cuius esset Mathematicã obiectum: & magnitudi- nem, per quam esset terminus augmentatio- nis: esset etiam ex se mensurabilis, & qualis, vel in æqualis, finito, & infinito; ac tandem impenetra- bilis, quæ omnia ab Aristotele tantum quãtuta- ti tribuuntur: ergo.

2. Sentent.

Secunda sententiã asserit substantiam ex se habere partes substantiales, ex quibus intrinsecõ componitur; non tamen habet earum extensio- nem: hoc est clarius, substantia habet partem, & partem: non tamen partem extra partem, siue partes extẽsas, & ordinatim dispositas; hoc e- nim est, vnã esse extra aliam: sed tales partes ha- bet implicitas, & confusas inter se, vt sine vilo ordine sint inter se immediate copulatæ, tam in ordine ad totum, quam ad locum. Ita Fonteca, Conimbricenses, & Rubius: quæ quidem senten- tiã probatur primo: nam admissã prædictã exten- sione, superflueret quãtutatis: nam illi omnes quã- titatis proprietates conuenirent: scilicet, quæ ex extensione dimanant: & ex vilius esset capax immediate localis extensionis, & impenetrabi- litatis, ceteraque accidentia recipiendi, quod est in opinionem Nominalium ab omnibus reiectã probatur ergo dicendum est, substantiam ex se nõ habere partes extẽsas.

1. Argum.

2. Argum.

Secundo, sequeretur ex opposito plura cor- pora quãta in eodẽ loco naturaliter esse, quod est absurdum contra Nominales illatum: de quõ Artic. sequente: patet sequella; nam tam mate- ria prima, quam forma materialis, & qualitates, habent suas extensiones secundum trinã di- mensionem: ergo, &c.

3. Sentent.

Tercia sententiã asserit substantiã sine quan- titate habere propriã partium extensionem, & diuisibilitatem; in partes integrales eiusdẽ ra- tionis: a quãtutate vero solum accipere super- uenientem extensionem localem, quã partes sub- stantiã partibus loci, correspondeat; & totã sub- stantiã toti loco commensuretur: ita Suarez se- cundo tomo disp. 40. & probatur primo: nam ali- ter substantia maneret indiuisibilis, & in loco in- diuisibili: ac proinde in vno indiuisibili instanti substantia illa in punctum profluxisset: & in vni- co instanti per spaciũ diuisibile fuisset mota; vt ad punctum perueniret. Respondeas, si placet, ad quem: ad medium ne, an ad aliquem ex ex- tremis? cum non sit maior ratio excogitabilis eẽ vno, quam de alio.

1. Argum.

Confirm.

Confirmatur: quia aut mutatio illa, siue mõ- tus, quoad punctum fluere; fieret in instanti: & hoc non: quia substantia corporea non habet vim naturalem transeundi in instanti ex spacio diuisibili ad terminum indiuisibilem; Aristotel. testante tertio Physic. motus non fit in instanti: ergo fieret in tempore: & sic ante finem illius motus, quo substantia ad punctum perueniret; esset in loco diuisibili: ac proinde extẽsa sine quãtutate.

2. Argum.

Secundo, si substantia in tres partes distin- cta, a parte media auferret Deus quãtutatem, il- la non maneret ab extremis diuisa, ac separata: quia ab eadem forma informaretur: ergo cum eis copulata maneret: quia non est maior ratio;

vt cum hoc potius, quam cum illo copuletur: ergo tunc replet locum, ac spacium diuisibile, sicut antea; habetque localem extensionem, cui sua pars loci distincta correspondet alioquin cum coniuncta sit cum hoc, & illo extremo; erit in duobus locis.

4. Sentent. Doctoris.

Quarta sententia asserit substantiam quamcunque materialem habere partes integrales extensas, non extensione locali, nec quantitatis; sed solum entitativa. Ita Doctor in secundo dist. 12. quaest. 2. & ibi omnes eius discipuli, estque communis apud probatores Thomistas: pro qua notandum primò, certum esse apud omnes substantiam quantitatem affectam habere partes substantiales, & esse diuisibilem: cum enim lignum diuiditur; non solum pars quantitatis diuiditur; sed etiam pars substantiæ, materiæ, nempe, & forme ligni: nam aliter inextensa, & indiuisibilis maneret: sicut anima rationalis, quæ absciso pede, non abscinditur, & ultra: quia si diuiso ligno, non diuiditur ipsa substantia: vel ergo ipsa substantia manet in vtraque parte: & sic idem corpus erit in pluribus locis distantibus, quod naturaliter fieri nequit, vel de nouo producit substantia in alia parte: quod non minus repugnat: nam diuisio non generat de nouo substantiam: sed vnâ ab alia separat. Quare certum est quod substantia sub quantitate diuiditur, qui enim bibit ex flumine aquam, non totam substantiam aque fluminis bibit, sed partem tantum.

2. Nota.

Secundo notandum: partes substantiales ipsius substantiæ se ipsis à parte rei esse distinctas à quantitate, & à partibus ipsius: substantia enim à quantitate realiter distinguitur: sed partes substantiales sunt substantiæ: nam substantia integraliter ex substantijs componitur: ergo tales partes realiter à partibus quantitatis distinguuntur. Quod vero se ipsis, seu per suas proprias entitates, distinguuntur, liquet: si enim vnâ pars substantiæ à parte quantitatis sibi correspondente distinguitur realiter per aliud, seu per aliam quantitatem: ab illo alio per aliud distinguenda erit: & sic in infinitum: si vero ab illo alio per se ipsam distinguitur: ergo eadem ratione ab illa parte quantitatis.

1. Conclus.

Dicendum primò. Substantia materialis, quæ tantum seclusa, non habet formalem extensionem partium integralium, per quam formaliter sit diuisibilis, & loco commensurata. Hæc statuitur contra tertiam sententiam: eamque tenent omnes pro quarta sententia relati, quos citat, & sequitur Pater Araujo quinto Metaph. q. 3. art. 1. in dubio appendice: & probatur primo ratione eius; extensio formalis partium integralium, modo explicato, est effectus formalis quantitatis: ergo nequit ipsam quantitatem præuenire: consequentia patet: quia nullus effectus formalis præuenit suam formam: antecedens vero probatur: nam pars, & totalitas, se inferunt: unde sicut duplex est totalitas: altera essentialis, & altera quantitatis; secundum primam, totum est in toto, & in qualibet parte: secundum vero secundam, totum est in toto, sed non in qualibet parte, sed pars in parte: ita duplex est pars, alia essentialis: & alia quantitativa: ergo illa præcedit istam: ergo exten-

sio formalis, qua vnâ pars dicitur esse extra aliam formaliter secundum locum, & situm, ac diuisibilitatem, nõ nisi à quantitate provenire potest: ergo substantia ex se talem partium extensionem non habet.

Secundo arguit ipse: quantitas est primum principium diuisionis in partes eiusdem rationis: idem enim ex se partium diuisione, & extensione, separata gaudet: ergo ratione quantitatis conuenit substantiæ talis diuisio, & extensio.

Tertio probatur conclusio à Basilio in secundo dist. 12. quaest. 3. artic. 3. §. sed ista positio. Impossibile est: quod per naturam duo corpora sint in eodem loco: sed si substantia, vel forma extensa, haberet aliam extensionem à quantitate sibi propriam; sequeretur, quod duo corpora essent simul: quia longum, & latum, & profundum, vtrique formaliter conueniret, scilicet, substantiæ, & quantitatis: & vtraque distinctas corporeitates haberet: ergo, &c.

Quarto, talis extensio assignata est prior quantitate: ergo iam substantia est extensa formaliter ante quantitatem: ergo superfluit quantitas, ad quid enim ponitur?

Dicendum Secundo. Quælibet substantia extensibilis per quantitatem habet ex se partes integrales alterius rationis à partibus quantitatis: ita vt substantia capitis sit alia entitativa à substantia pedis: sicut nunc est defacto sub quantitate: quæ extensio radicalis, seu entitativa dicitur, qua omnes partes, non solum entitativè inter se realiter distinguuntur: sed ordinatim sunt vnite; ita vt ordinem inter se seruent; & non sint confusæ, & immediate copulatæ: hæc est Doctoris, & suorum, ac omnium pro quarta sententia relatorum; contra Auctores primæ, & secundæ sententiæ: & quoad primam partem probatur primo.

Substantia est subiectum quantitatis: ergo saltem præcedit natura quantitatem: sed sicut tota substantia est subiectum totius quantitatis: sic partes substantiæ sunt subiectum partium quantitatis: ergo sicut tota substantia præcedit totam quantitatem: sic partes substantiæ partes quantitatis: ac per consequens substantia habet partes reales entitativè extensas.

Nec valet dicere; hoc concludere de partibus quoad entitatem; sed non quoad esse partium: quia esse partem supra entitatem substantiæ nihil addit; nisi vel relationem aliquam, quæ est posterior vnione partium inter se; vel dicit ipsam partium vnionem, quæ necessario quantitatem antecedit.

Secundo, quod Deus immediate creare potest, immediate potest illud conseruare, eo modo, quo illud creat: sed Deus potest immediate creare substantiam materialem extensam entitativè absque quantitate: ergo poterit eam, vt sic, absque quantitate conseruare. Probo in primis: tum quia Deo non est denegandum, quod agenti naturali conceditur: sed agens naturale producit substantiam extensam sub quantitate: ergo Deus poterit illam creare, & conseruare, sine quantitate: cum ad hoc quantitate non egeat. Tum etiam, quia potest defacto quantitatem à substantia separare, & eam conseruare: vt in Eucha-

2. Concl.

cha.

charistia patet: ergo poterit substantiam à quantitate separatam, vt existentem, conseruare, illa extensione entitativa, qua erat sub quantitate: ergo talis substantia sic conseruata est entitativè extensa.

Tertio, detur casus: quod Deus in instanti separaret quantitatem à substantia totius maris Oceani: quod Deo est possibile: in quæro: An substantia illa sit extensa entitativè: An non? Si primum: haberet intentum: si secundum: ergo partes illæ substantiæ ad punctum fluxerunt: vt prima sententia vult: tunc ponatur punctus esse centrum triginta palmorum: partes tunc extremitat, quæ erant sub quantitate maris Hispanensis; & alia, quæ erant sub quantitate maris Gallia; & aliquid spacium per transire debet: & tunc deferrentur per motum, & in tempore: nam motus non fit in instanti: ergo, illo motu durante, vnâ pars substantiæ mobilis non esset alia realiter: ergo entitativè distincta: ergo, &c. Alia argumenta vide apud Hieronymum de Valera lib. 2. dist. 4. quaest. 2. facta enim sufficiunt.

Secunda pars, nempe, quod tales partes ordinem realem inter se in illo priori seruent, contra secundam sententiam probatur: quantitas, cum aduenit substantiæ, non transmutat partes eius, sed eas informat, eo modo, quo illas inuenit: ergo tales partes entitativè extensæ inter se ordinem seruant: alioquin sub quantitate confusæ remanerent.

Secundo, partes substantiæ sub quantitate ordinatæ sunt vnitæ ordine quodam: ergo & sublata quantitate. Consequentia patet: quia per quantitatis separationem nõ producitur aliquis substantialis ordo, quo substantia capitis conseruetur in loco superiori: & substantia pedis inferiori: ergo talem ordinem habent ex se, quantitate seclusa. Quando enim quantitas separatur, tantum auferitur illius vnio cum substantia: non vero vnio partium substantiæ ordinata.

Ad argu. 1. Sentent.

Ad argumentum primæ sententiæ respondetur, quod omnia illa ibi assignata in quavis materiali substantia reperiuntur, nõ quantitativè, sed entitativè: ad Arist. dico: quod negat à substantia sine quantitate diuisibilitatem in partes quantitativas, quæ diuisibiles, sicut & impenetrabilis, quantitatem comitatur: obiectum autem Mathematicæ est extensio in ordine ad locum, quæ quantitativa est: & terminus augmentationis est magnitudo dumtaxat quantitativa.

Dub. Resp.

Si autem quæras: An Deus possit vnâ partem illius substantiæ ab alia separare? Respondeo: quod sic: sed talis separatio non est proprie diuisio: nam hæc non fit proprie, nisi ratione quantitatis.

Ad primam. 2. Sentent.

Ad primam pro secunda sententia dico, quod extensio quantitativa habet suum effectum formalem distinctum ab effectu extensionis entitativè: vt art. præcedente vidimus.

Ad secundam.

Ad secundam nego sequellam: nam plures dimensiones entitativas esse in eodem loco, & adinuicem naturaliter penetrari, non est in conueniens: imo, necessarium est: esset tamen inconueniens plures dimensiones quantitativas esse naturaliter in eodem loco: & de istis tantum pro-

cedit argumentum, & absurdum contra Nominales illatum.

Ad argumenta tertie sententiæ respondeatur: ad primam, quod illa substantia separata esset in loco distinctiue: non vero, localiter coextensa. Itaque est extensa in se; inextensa vero, & indiuisibilis, in ordine ad locum: non positiue: sicut Angelus, sed negatiue: quia actu non extenditur localiter: est tamen apta ex se, vt extendatur. De quo latius in Prædicamento, vbi. Et per hoc ad confirmationem: esset enim talis substantia in loco distinctiue, tota in toto, & tota in qualibet parte spacij, præsentia quadam reali, qua præsens realiter dicitur spacio: non tamè est ibi localiter, & coextensiuè: pro quo vide Doct. in quarto dist. 10. quaest. 1. §. dico ergo aliter.

Ad secundam, quod in illo casu partes ille manerent inter se copulatæ entitativè: & vnâ esset alteri præsens, non præsentia locali, & extensiuè, sed solum entitativa.

Ad primam. 3. Sententia

Ad Confirma.

Ad secundam.

A R T I C. III.

An quantitas realiter distinguatur à re quanta?

Ad exactam prædictorum intelligentiã, & vt quantitas essentialis magis eluceat, hanc difficultatem examinare necesse est: in qua est prima sententia Nominalium, Stoicorum placitum, iam multis annis sepultum, suscitatum, qui, cum suo Magistro Ochamo in Logica super istud caput, & quaest. 4. quodlib. & in tractatu de Eucharistia, tenent, quantitatem non esse aliquod speciale accidens realiter diuersum à rebus materialibus, siue substantiæ sint, siue accidentia: sed esse idem essentialiter cum ipsis, licet non sit de earum conceptu quidditatiuo, sed quid distinctum formaliter ex natura rei ab ipsis, inclusum tamen in suis conceptibus quidditatiuis; prout corporeæ sunt. Vnde in quavis re physica tot, inquirunt, esse quantitates, quot sunt entia realiter distincta. Quam sententiam sic explicatam probant primo: illud, quod per suam essentialitatem habet partem, & partem, est idem essentialiter cum quantitate, vel diuisione: sed substantia corporea est huiusmodi: quia si non: tunc materia corporea indifferens est ad formam spiritualem, vel corporalem: & sic cum forma spiritali poterit constituere vnum spiritum: nec sibi repugnat hoc: quia non habet partem, & partem, ex ratione essentiali sua; sicut tu dicis: hoc autem est falsum: ergo, &c.

1. Sententia

1. Argum.

2. Argum.

Secundo, illud, quod de se, & de sua ratione, est subiectum formæ corporeæ, vel partibilis, est partibile, & habens partem, & partem: quia quod de se non habet partem, & partem, sed est impartibile; non potest esse subiectum formæ partibilis: sicut nec spirituale alicuius corporalis, sed materia est huiusmodi: ergo.

Tertio, illud, quod ex se non est partibile, est ex se impartibile, & indiuisibile: & per consequens sibi repugnat habere partes: ergo si substantia corpo-

3. Argum.

corpo-